



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 3. SS. Eucharistiæ percepta mira dulcedo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

## §. III.

*SS. Eucharistia percepta mira dulcedo.*  
 Fœminam cibis humanis pastam, sed diuini prodigiosè recreatam, sic fide dignus author recenset: *Novi quandam sanctimonialem ordinis nostri, qua illam à Domino accepit gratiam, ut quando communicat, tantam ex ipso sacro corpore dulcedinem sentiat, ac si mel reciperet. Non saporem panis, sed mellis, ut dixi, in masticatione, sentit, tota illa die, maxime ante perceptionem cibi corporalis, salinam habens mellifluam. Nec mirum, legitur enim de manna, quòd gustus eius fuerit quasi simila, cum melle.* Pergit paulò post author: *Similem gratiam, & fortè maiorem, audiui collatam fuisse dominae Alheydi primæ Abbatissæ monasterij civitatis Vestualia. Hec, quotiescunq; corpus Domini à sacerdote suscepit, non panis soliditatem inter dentes, neq; panis saporem inter fauces sensit, sed ipsum Sacramentum, quasi fauus mellis, sine masticatione, per guttur eius in ventrem defluxit; sic, ut mira suauitate omnia eius interiora replerentur. Quando defuncta est, dominus Florentius Abbas de Campo S. Mariae, qui pater eius fuerat spiritualis atq; confessor, post sepulturam eius, orationibus, qui confluxerant, eandem gratiam predicavit.* Subij-

Casarius  
 Heisterb.  
 l. 9. c. 39.

Ibid.  
 c. 40.

cit his Apollonius: *Si de cadauere leonis egres-*  
*sa est dulcedo, non miror, si de corpore Christi,*  
*qui est leo de tribu Iuda, dulcedo egreditur.* Et  
planè non sine caussa dicitur: *Fauus distil-*  
*lans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua.*

Iudic. 14.  
Apoc. 5.

Cant. 4.  
11.

Hanc enim dulcedinem, in Sacramento, ef-  
ficiebat ardor charitatis. Dulcis enim est a-  
mor, & omnia facit amanti dulcia; quem-  
admodum vana amanti amarissimum est  
Eucharistiæ manna degustare, debet enim  
alia relinquere, quæ illi, tanquam exfurda-  
to palato, videntur dulciora. Monendi ta-  
men mihi, hîc, sunt simplices, ne putent se  
sensibilem, in fumendo sacro hoc ferculo,  
experiri debere dulcedinem. Spiritualis ci-  
bus est, & splritualis dulcedo, hoc est, cha-  
ritas in eo, coniunctiôque cum Deo quæ-  
renda est; quam vtique significat dulcedo  
illa, quæ ore percipitur à nonnullis, nec ap-  
petenda, si deest; nec, nisi cum magna hu-  
militate, si adest, acceptanda. Solet enim  
Deus, etiam per corporum sensus, subinde  
animas refocillare: quam ob caussam man-  
na de cœlo misit Israëlitis.

§. IV.

*Christus hordeaceum panem vulneri intin-*  
*ctum reddit suauem.*

Hoc